



1711 187296 60 pignori data

Sammelblatt!

D 172

L

DE  
**CERTAMINIBVS  
 ERUDITORUM RITE  
 INSTITUENDIS**  
 DISSERTATIO

*Quam*

AUXILIANTE GRATIA ALTISSIMI  
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
 DOMINO

**GVILIELMO HENRICO**  
 DVCE SAXONIÆ JULIACI CLIVIÆ MONTIVM AN-  
 GARIÆ ET WESTPHALIÆ reliqua

*Amplissimi Philosophorum Ordinis consensu*  
 In Academia Jenensi

*p. Maji. A. D. M D C C X*  
 publico eruditorum examini submittent

P R Ä S E S

**IO. IACOBUS LEHMANN**  
 ERFF. PH. M. & TH. C.

ET RESPONDENS

**IO. GVILIELMVS LUDOLFF**  
 ERFF. PH. & J. V. C.

*J E N Æ,*  
 LITTERIS MULLERIANIS.

CEMETRIAMINIBA  
HEREDITATORIUM RITE  
URSULINENSIS

Dissertatio

ALBERTI ALBANIUS  
REGOTUS MARCHIONIS  
SICILIAE  
STANISLAVI TURINICI  
MONTI

GOETHEIUS CATHARINA


NAUENBERGII

ERGOTIUS VITRUVIUS

GOETHEIUS CATHARINA

ERGOTIUS VITRUVIUS





## CAP. I.

*De Certaminibus eruditorum in genere.*

### CONSPECTUS.

- §. I. Institui ratio & occasio. §. II. Quanam potiora certaminum eruditorum genem & quodnam nostra imprimis sit traditio? §. III. Certaminum, quibus veritatem defendere conamus, in ipso statu integro dantur vestigia, a quo ad nostra usque tempora quidem propagata, ast varis artificiis mutata, quid? quod valde corrupta sunt. §. IV. Quid sit certamen? §. V. Ad illud non sufficit unus. §. VI. Eruditi requiruntur certantes. §. VII. Quid sit vera eruditio? §. VIII. IX. Intellectus emendatio. §. X. Quanam certaminum virtus ex nondum emendato fluat intellectu? §. XI. Voluntatis emendatio. §. XII. Quanam virtus ex minime emenda data deriventur voluntate? §. XIII. Non decet vel nulla vel levissima exigente causa aggredi certamina. §. XIV. In certaminibus argumenta contraria, legitime & modeste conferri debent. §. XV. De re vel necessaria vel vere utili instituenda sunt. §. XVI. Ade rebus theologicis certare licet? §. XVII. Gloriam DEI, proximi & sui ipsius adificationem, speciatim veritatis culturam pro fine agnoscere tenentur certantes. §. XVIII. Quotuplia hæc sine certamina?

A

§. I.

## §. 1.



Um thema quoddam certas ob causas  
é Philosophia rationali depromen-  
dum atque dissertatione academica  
pertractandum quererem, incidebam  
forte in Logicz, ut vocatur, artificialis  
natales, & progressus. Cognoscetam,  
quod Diogenes Laëtrius ex Aristotele  
referet, Zenonem Eleatem & dia-  
logorū & dialectices fuisse autorem. (\*)

Hunc sécutos esse alios, Socratem præprimis, Platonem  
atque Aristotalem, rem magis magisque exasciantes.  
Quorum occasione autem haud obscure animadvertebam,  
studium Logicum prima ztate nimis fuisse angustum, di-  
sceptationibus cum Sophistis utramque paginam facienti-  
bus. Mirabar exinde, viros & ingenii alacritate pollen-  
tes, & opum auxilio non raro suffulso nunquam altius  
extulisse caput, majoraque in cognoscendo præstissime in-  
tellectu, quem tamen vera Logica curatus explorandum  
emendandumque vindicare sibi debeat. Verum enim ve-  
ro, ut ad majorem raperer admirationem, efficiebat illi,  
qui sequentium seculorum cursu ne micam ferme veteri  
addidere cognitioni. Omnia tandem maxime deploran-  
dos judicabam, qui luce rationis jam longe clarissim lucen-  
te, in celebri tamen veterum adhuc verfantur cœcitate.  
Illi enim & hodie Logicam artemque disputandi pro uno  
& eodem habere, nunquam erubescunt, quicquid etiam  
verbis excusare annitantur. Sunt namque plurimi, qui  
summo Logicam excolunt opere, ad vanas tamen disce-  
ptiones vix fiunt apti, nihil interim aliud exoptantes,  
quam ut hanc falso sibi persvasam modo caperent felicita-  
tem.

---

(\*) Lib. III. in vit. Archy. & Dionys. & Lib. LX. in vit. Zenonia.

§(3)§

tem. Exinde quoque factum esse coniiciebam, ut ; qui hodierni temporibus, se Logicam didicisse, aliis ostendere desiderant, inutile s̄pē, prudentemque hominem minime decens aggrediantur certamen. Hęc ita consideranti varia de certaminum varia ratione sese offerebant cogitationes, quę, meditatione ulteriori facta, ita augebantur, ut firmiter decernerem, eas exercitatione quadam publica proponere, & quęnam aliorum de iis mens sit, experiri. Deus rem esse jubeat felicem !

§. II. Certaminibus itaque, meo judicio, maxime implicantur eruditī, quoties hostes internos, affectus pravos, bonęque menti rebellantes, delassare student, atque deprimere ; quoties hostes externos, mores intellige aliorum effrenatos, emendando vincere conantur, odio interim & invidię, negotii hujus plus quam fidelissimo comiti, mira cedentes modestia ; quoties denique aut veritatem invenire, aut confirmare, & adversus hostium insultus defendere allaborant. Primum genus certaminum in multis, qui, sub nomine signoque eruditio[n]is ut plurimum spurio, mortalibus innotescunt, desideratur potius, quam observatur, ut adeo frequens usū non veniat, cum tamen, ut frequentissimum fiat, omnino sit exoptandum. Alterum quoque raris accenſetur avibus. Efficit enim eorum, quibus incumbit aliorum emendare mores, vel ipsius rei ignorantia, vel modi decentis imperitia, vel animi impatientia & morositas, emendandorum item contumacia & ignavia, ut quilibet molestum hunc fastidiat laborem ; non dicam, odio invidięque paululum cedere, didicisse paucissimos. Ultimum tandem certandi genus, cum multo frequentius ac priora ab eruditis exerceri videatur, id expertum est favoris apud loquendi usum, ut sibi ferme soli certaminis vindicet nomen. Quapropter & nos, in iis, quas nunc molimur, meditationibus, haud alium adhibituri sumus significatum, atque hunc, ab usū & re nobis valde commendatum.

*in* §. III. Certaminibus defendenda imprimis veritatis, deplorandam hostes ejus prebuerunt occasionem. Antiquissimus enim, sed infensissimus veritatis oppugnator fuit diabolus, vafer mendaciorum pater. (\*) Hic cum ob stultam superbiatam ; iusto DEI decreto , amississet antiquum, quo gaudebat, splendorem , noluit ex invidia , quietam amplius concedere hominibus salutem , noluit exinde veritatem, unicam salutis mortalium viam, salvam relinquere atque incolumem. Ad Eam itaque se contulit, eamque ad certamen provocavit, negans a DEO datum de arbore vetita interdictum. Hac cum rem distincte explicando, satis apte respondisset, impie regessit Satanus, DEUM ex invidia forsan, quod abominanda est blasphemia, celasse homines hujus arboris virtutem, ne, si eam cognoscerent, comederentque arboris fructum, DEO fierent aequales. Quo factum est, ut pravi affectus revelationibus jucundis excitati , Eam ita occuparent, ut brevi superata & se & totum hominum genus in fœtidissima precipitaret vincula. En omnium primum de veritate certamen , ast omnium quoque infelissimum ; quod deinceps post lapsum alias, diabolo plerumque dirigente, secuta sunt plura. Quæ de contentioso, Cainum inter & Abelem, instituto colloquio referunt Targumistæ , (\*\*) nonnisi satius adhuc probanda admitto. Temporum vero decursu nunquam defuisse certaminum exercitia, ex variis vestigiis facile quis conjectare poterit. Hiobum cum amicis disputando fe virum præstantem ex mente quorundam Ecclesiæ patrum adducit.

B. DURRIUS (\*\*\*) Apud gentiles , cum indies cresceret Sophistarum turba, multi cum iisdem congregari non recu-

(\*) Job. VIII. v. 44. (\*\*) Autor Targum Hierosolymitanus & Pseudo Jonathan, b.l. Confer PFEIFFERI Exercit. de Colloquio Kaini & Abelis, que in selectis prima est. Theb. II. seqq. (\*\*\* ) In Isegorie in lect. Arist. MICH. PICCARTE, quam notis usibusque theologicis auxit p. 125.

sarunt. Quid Christi & Apostolorum tempore hac in re sit gestum, sacræ passim docent pandectæ. Nec omnibus post Christum seculis aliâ fuisse rerum faciem, testes sunt tot Concilia, tot Synodi & Colloquia. Quibus ita positis nullo negotio conjicere licebit, nunquam plane defuisse veritatis oppugnatores, nunquam defuisse certamina. Hodie in pestilentissimam Christianorum maculam eo per ventum est, ut controversias indeque fluentes contentiones cumulare, magnæ sibi ducant gloriae mortales. Disputant rixantur, pipulo semet differunt, ac si per legem expressam ita sanctum. Exinde est, quod disputare & conviciari difficilia sunt dijudicata.

§. IV. Genuina itaque a spuriis eruditorum dignoscere certamina, cum valde necessarium sit ac proficuum, haud frustraneum suscipere laborem videmur, perspicuum concipientes genuinorum explicationem, quo spuria eo feliciter cognosci & evitari queant. Finis rei nos edocet, tunc dénum legitimum & genuinum esse certamen, quando duo pluresve eruditæ, exigente ita vel rei, aut famæ necessitate, vel minimum studiorum promovendorum ratione, argumenta contraria debiti ponderis, circa rem vel necessariam, vel vere utilém, legiūmē modesteque conferunt, ut exinde ad majorem DEI gloriam, nostramque felicitatem, veritas vel plenius inveniatur, vel inventa confirmetur, & ab erroribus vindicetur. Certatim proponi solent argumenta, unde & nostrum certandi genus nomen sortitur. Cavendum proinde sedulo, ne animo infenso, proximique famam labefactante, veritatem vero occultante, adoriamur certamina, eaque stratagema tum plane illitorum colluvie, dolo item aut alia vi, (\*)

(\*) ERASMUS in Diatribe de libero arbitrio: *Quicquid forte, inquit, ad manus est, sive cantharis, sive discus, inter telum vertitur.*

cruentis æquiparemus conflictibus. Fecit hoc multis retro temporibus misera Sophistarum cohors, cui ita superbienti nihil jucundius, nihil utilius, nihil visum fuit honestius, quam exitiali hoc certaminum abusu vanum caprare nomen. Faxit divina benignitas, ut & hodierni cœcitatris hujus asseclæ meliorem induant mentem, atque tum gloriarum DEI, tum proximi & proprio commodo obesse desinant.

§. V. *U*nus certamen constitutere non potest, nisi ad instar equitis Don Quichotte pugnare sibi proponat. Argumenta contraria veritatis ergo conferri debent; si quis itaque sibi solus relinquitur, uni conseruit adhærere sententiaz parti, cui quoque ita plerumq; se statim sacrat, ut contraea ejusdem vel plane non videat, vel ad minimum non omnia videat, facileque in periculum præcipitari queat præjudiciorum. Ex quo manifestum est, Scholasticorum, GREGORII DE VALENTIA, SVAREZII aliorumque labores, disputationum titulo, tunc temporis valde jucundo insigntos. proprie huc referri non posse, cum vel plane non sint disputationes, vel tantum ceu effectus nomen sibi attribuant causæ, ea quippe complectentes, quæ in disceptationibus fuerunt proposita & ventilata, vel earum occasione adinventa. Duo autem pluresque eruditi, viribus unitis veritatem promoventes, & libentius animi favorem, uni tantum parti addictum, deponunt, & plures vident rationes adversantes, easdemque accuratius dijudicant, & ita facilius veritatem indagant, inveniuntque; nisi data opera eam in ignorantiaz abyssum detrudere querant, & veritati & sibimet ipsis contradicentes.

§. VI. *E*ruditi concredimus certamina veritatis erga instituta. (\*) Eruditionis partes arma sunt ejus generis

(\*) Paulus quando τὸ ἐλέγχειν commendat Episcopo, rem  
quirit prius ut sit διυνατός. Tit. I. v. 9.

ris certantium, Quemadmodum itaque crieritis in congressibus sine armorum apparatu, vel justam causam habentibus, via consveta, nullus promittendus est finis: sic in nostris quoque certationibus, absque pharetra, aptis instructa telis, quæstam nos consequi posse veritatem, valde dubito. Ex rerum immotis principiis, accurataque inde scaturiente notitia, desumenda sunt veritatis conclusiones, desumenda quæstionum decisiones. His autem deffitutus, qua ratione certando felix progredi poscit, non video. Quo quis doctior, eo felicior fortiorque erit in veritate eruenda, confirmando & vindicanda. (\*)

S. VII. Eruditorum autem nomine, non eos putamus intelligendos, qui vel latinam tantum callent lingvam, vel terminorum scholæ sibi compararunt notitiam, vel dum subtilissimis immersi fuerunt speculationibus, vel alia quæcunque ita sciunt, ne modo nesciant: sed, qui genuinam possident eruditionem, veram nempe, solidam & vivam rerum divinarum ac humanarum, ad nostram & temporalem & æternam felicitatem vel necessiarum vel vere utilium cognitionem. Veram diximus, quæ sola dicit ad finem nostrum, qui est veritas. Falsa enim cognitio in errores potius nos reddit præcipites. Solide quoque mentionem fecimus, ex intima rerum consideratione provenientis. Ab hac enim pudent & veritatis confirmatio & hostium convictio; cum ē diverso superficiaria notitia, nullum horum efficere possit. Vivam autem præcipue re quisivimus, quæ ita nostram tangit voluntatem, ut verum & bonum, intellectus ope cognitum, nobis applicandi, per illud nos emendandi, felicitatem consequendi, eamque cum aliis communicandi, efficaci flagremus desiderio. Hæc cognitio anima totius eruditionis vocari meretur, sine qua & ve-

(\*) Observandum tamen est, si res cum hoste agatur, fieri, ut si modo sit eruditus, qui veritatem defendere collaborat.

& vera & solida mortua est atque frustanca. Huic autem ira munitæ eruditioni, indissolubili nexu adhærent Sapiens & Prudentia. Illa in necessariorum, summi imprimis boni, applicatione ; hæc autem in vere utilium acquisitione maxime occupata est. Hoc doctorum multos permovit, ut & sapientiam & prudentiam sub eruditio-  
nis comprehenderent ambitu. Quem salutarem harum sociarum complexum ad certamina requirere nulli du-  
bitamus, serio exoptantes, ut certaturi sint & eruditæ &  
sapientes & prudentes. Sic felix sperandus certaminum introitus, quem jucundus excipiet progressus, & exopta-  
tus tandem claudet exitus.

§. IX. Ex his prono fluit amne certaturos tam emendarum intellectum, quam emendatam voluntatem afferre debere ad certamina. *Intellectus emendatio laxiori significatu*, post sui sanationem, & in rebus divinis & humanis complectitur instructionem. Requirit itaque, ut certantes I. *Veritatem invenire sciant*. Finis certantium est veritas, primum invenienda, post confirmanda, & ab erroribus vindicanda. Qui eam invenire nescit, quomo-  
do confirmabit ? quomodo vindicabit ? Facit vero ad eam inveniendam maxime I. *cognitio intellectus*, ejusque opera-  
tionum. Hanc qui sibi comparat, & facile morbos intellectus cognoscet, & commode sanitatem ductu finis per-  
scrutabitur, & mediis adhibitis, felix dirigit operationes omnes, quæ in ideis percipiendis, componendis, ipsaque argumentatione occupantur. Ideas universales a singu-  
laribus, distinctas a confusis, claras ab obscuris separa-  
bit. Quæ affirmanda veniunt, affirmabit, negabit autem neganda. Universalia, ut res permittit, extendet : parti-  
cularia, ut res postulat, restringet. Veritates particulares ar-  
gumentando rite derivabit ex universalibus : universales autem recte applicabit ad particulares. Deinde II. adverita-  
tem inveniendam conductit quoque *veri ipsius cognitio*. Verum  
autem

autem cum sit vel certum vel verosimile, & cum utrumque variis admittat gradus, genuinus disputans inter certum & verosimile, utriusque item inter gradus aptum formabit discrimen. Methodi tandem, II. qua ad veritatis inventionem perducimur, *cognitio*, multum commodi afferet illi, qui veritatem invenire conatur. Hac enim manuducente ab universalibus iisque primis principiis descendet ad particulares conclusiones, quæ questionis esse videntur: & ab his rursus ascendet pro scopo ad universalia. Et quæ id genus alia sunt.

§. IX. Intellectus emendatio II. postulat, ut apti sint disceptantes, *genuinum ex aliorum sermone investigandi sensum*. Qui alios non intelligit, quomodo argumenta cum iis communicare cum fructu possit, non video. Cui itaque animus est, & hac in parte suo, legitime fungi officio, diligenter, accurate, sed caute aliis inquirat mentem, quam expressit sermone vel oris vel scripto. Ad hanc veritatis investigationem conductet, *sermonem I. ipsum cognoscere, ejusq; via & virtutes*. Vox obscura distingvenda est a re obscura, ne, si in vocibus hæreat obscuritas, ea queratur in re: & si in re appareat, ne queratur in voce; nisi in utroque morbum adesse experiamur. Terminorum artis requiri notitiam, quivis perfacile cognoscit. Nam & hos usus civitate latina donavit, adeo, ut in scriptis sepiissime occurrant, sermonibus autem vivis valde quoque miscantur, quorum ignoratio pro nostra hodierna rerum conditione multa parere posset incommoda. Cognitis vero vocibus II. *rem ipsum* attente considerare tenetur certans, ut & realem investiget sensum. Optime autem hoc efficere poterit, perpendendo (a) Autorem loquentem scribentemve, cuius sit eruditio, religionis, status, affectus & inclinationis? (b) considerando objectum, de quo sermo est; (c) antecedentia & consequentia confiendo; (d) connexionem cum doctrinæ analogia examinando,

nando; (e) autoris fundamenta prima ac præcipua inspi-  
ciendo, & ad illa veritates particulares, ab eo assertas,  
dijudicando. Et quæ alia sunt, quæ Hermenevтика nos  
docere solet. Non sufficit autem aliorum modo assequi  
mentem & sententiam, sed III, in disputantibus, *adver-*  
*satorum opiniones dijudicandi*, requiritur *scientia*. Quam-  
vis enim alias argumenta quis intelligat, si autem dicere  
nequit, verane sint an falsa, finem certaminis genuinum  
nequaquam obtinebit. Vera enim non cognoscens, pro  
falsis forsitan habebit, confundetque haec cum illis. Fal-  
sa vero, cum non curate videat, pro veris reputabit faci-  
le; qua confusione nunquam elicit veritatem, qua ta-  
men præcipua certantium est meta. Judicium de senten-  
tiis aliorum exhiberi poterit, si quis I. interpretandi gau-  
det habitu; II. rei dijudicandæ accuratam possidet notiti-  
am, fundamentorum & eorum, qua superstructa sunt,  
nexum habens perspectum; III. præjudicia deponit &  
affectus; IV. purum & simplicem erga veritatem fovet,  
amorem. Argumenta porro cum a disputantibus conser-  
ri debeant, his quoque IV. *veritatem communicandi*, spe-  
ciatim vero controversi disputatione modum legiti-  
mum scire incumbit. Ubi quadrata miscentur rotundis,  
omniaque confusa proferuntur, finis rei minime attenditur  
ataque acquiritur. Decenti ordine, & qua fieri potest, per-  
spicuitate, innocentique brevitate rem protulisse, imma-  
ne quantum afferet ad veritatis cognitionem, hostesque  
convincendos. Cætera cum in sequentibus commodius  
tractentur capitibus, merito illis reservamus. Ut tandem  
omnibus instrucci sint certantes, quorum auxilio finem  
præscriptum feliciter consèqui valeant, V. præcipuo intelle-  
ctus demum requisito, *solidanempe & vera rerum gaudere*  
*debent notitia*. Ea qui imbutus est, palmam longe certius  
est reportaturus. Sed num hac ratione a certaminibus  
abigendi, qui non omnem quidem emensi sunt eruditio-  
nem,

nem, fundamenta tamen jecerunt haud exigua, quæ quotidie augendi mirificam sovent cupidinem? Qui sano intellectu eam modo cognoverunt rem, in qua disputatio ne publica exercere se student, quomodo jure excludantur, non video. Alia autem res est cum adversario astuto congregandi, & nullis eidem resistendi, non dicam eum convincendi, instructum esse viribus. Qui adeo sunt rudes, merito ab ejus generis arcentur conatibus: hi enim veritatem non modo nunquam inveniunt aut confirmant, sed, si quam habent, perdunt facilime. Quo facto, ne sedent turpiter, ad inanem confugiunt sermones, cuivis auditu ingratos.

¶ X. Quoties vero contra haec salubria peccetur, requisita, omnis fere docet dies. Lubens enumerasset, quæ vitia saepius, quæ rarius item occurrant, nisi iis, qui vitia sua amant, quorum numerus non exiguis, nihil molestius esset, atque in veritatis concione, agere auditores. Perspicuitatis faciliorisque applicationis ergo, varia subjecit exempla, nisi totus testetur orbis, exempla esse odiosa. Veterum afferre errores, non adeo existiale parit odium; sed & fructus abest, cuius gratia adducuntur. Maxime namque conservaverunt mortales priorum seculorum actiones accusare, praesentis vero atatis vitia excusare. Quo ipso ad propriorum defectuum nonnunquam peruenturi sunt agnitionem, multo minus correctionem. Ad hoc miseræ nostræ fastigium perduxit nos diabolus. Interim spero, fore, ut sequentia annotasse, facile condonent, cum speciatim feriatur nullus; quid nobebit, si generatim ii tantum petantur, quibus recensenda adherent macula? Multi, fere dixissim plurimi sunt, qui perquam audacter ineunt certamina, omnium tamen minime veritatem invenire aut defendere didicerunt. De intellectu, prater nomina trium mentis operationum, vix quicquam cognoscunt, vitia ejusdem plerumque nesciunt,

virtutes ignorant. Sophisticationibus prejudiciisque rem omnem peragi putant. Vocabulorum ambiguitate aut obscuritate quendam confundere , maximo sibi vertunt honori. Et cum omnem phisophandi gloriam ac finem querant in terminorum notitia , nunquam sibi persuadent , scientiarum artiumque libros satis repletos esse terminis, ut vocant, technicis ; hinc quoties minima fert occasio, novos fingere posse, privilegium appellant. Distinguunt, sed certissime , quid dicant, saepe nesciunt. (\*) Prajudicia vel autoritatis, vel praeципitiae venditant pro cognoscendi principiis, qua aut probari nequeant, aut non debeant. Quod schola Aristotelicorum aliorumque sequacium nescit, ab hodiernis tamen veritatis cultoribus profertur, novitatis titulo errori æquiparant valde exitiali. (\*\*). Certum a verosimili nequaquam segregant; alias non adeo saepe apodictice quid conarentur demonstrare, quod nihil nisi admittit verosimilitudinem. Syllogismum unicum esse credunt ad veritatem perveniendi medium; hinc quicquid non probat syllogismus , firmiter probatum esse, vix putant. Quomodo hujus farinæ disceptantes mentem

(\*) Non plane rejicio distinctiones, quas schola quoque luxurians introduxit; earundem autem miseram applicationem tantum deploro. Quando interdum distinguunt inter notitiam confusam & distinctam, inter directe & indirekte, crede, notitiam confusam eandem esse ac plane nullam; indirekte autem germanico idiomate optime explicari posse mit den Haaren herbege gezogen. (\*\*) JO. CLERICUS in diff. de arguento theol. ab invita duto: Quia, inquit, plerique homines parum veritatis amantes, & de se magna sentientes, se ignorantie aut infirmitate argui putant, cum quepiam, que antea ignoravit, docentur. Igitur contra eos, qui nova, aut que noua judicantur, afferunt, vehementissime invehuntur.

tem alterius investigare, quomodo dijudicare possint, in  
aprico est. Particulares veritates ad aliarum particularium,  
sepius falso creditarum veritatum normam examinant,  
cum ad universale potius fundamentum sint referendæ.  
Legitimam controvertendi rationem aut nesciunt, aut ma-  
le applicant. Et si tandem rerum in iisdem quæras noti-  
tiam, quoties invenies, dari vacuum? Hæc & alia plura  
ab intellectu maxime pendent non satis eruditio; que ve-  
ro voluntati affectibusque pravis veniant ascribenda, se-  
quentibus tangemus.

§. XI. Multæ circa intellectus pariter ac voluntatis regi-  
mē moveri solet quæstiones atq; controversiæ, quas autem  
nostras facere pagellarum prohibet proposita brevitas. (\*)  
Hoc penitus intropicienter se docebit experientia, quod  
voluntas ejusque motiones magnum habeant cum intel-  
lectu commercium, adeo, ut eundem & bene dirigere, sed  
& pesimè corrumpere queant. Hinc quamvis in certa-  
minibus eruditorum intellectus maxime sit occupatus,  
quia tamen vitia voluntatis præcipios in intellectu pro-  
creant defelius, (\*\*) ne hac ratione, voluntate deprava-  
ta, & intellectus faciat naufragium, emendanda quoque  
erit voluntas cum motibus suis atque propensionibus. Hoc  
paecto intellectus non modo non impeditur, sed potius  
adjuvatur in operationibus, veritatis ergo instituendis.  
In voluntatis autem emendatione, cum plura sint atten-  
denda, quam nostra capere possit tractatio; potiora,  
tantum feligenda sunt momenta, ea nempe, que impi-  
mis finem nostrum reddere videntur facilem. Omnia  
præci-

B' 3.

(\*) Vid. interim Dn. D. GERHARDI *Sebediasma von den  
Verstand und Willen*. M. Musigii *Diff. de causis errorum  
ex moribus hominum quoque derivandis*. §. VII. seqq.

(\*\*) Magnif. Dn. D. BUDDEUS in *Phil. Instrum. P. I. c. II.*  
§. 3. seqq. ex professo hoc ostendit.

principium, & quod cætera, quæ ad nostrum negotium requiruntur, ēv οὐδόψει ostendit, est amor sincerus ergo DELLIM, proximum, ipsamque veritatem. (\*) Hoc qui instruēti sunt, verum inquire solent pie, modeſte, attente, intrepide, conſtanter, de poſitīs prejudiciis pravaque propenſionibꝫ & affectibus. Qua omnia ſuo modulo adhibita diſputaturos maxime ad certamina reddunt capaces. Sic enim non facile l. impingunt ideas percipientes & diſtinguentes, eas item connectentes affirmando negandove. Non grave eſt illis, inharere rei conſideranda, donec claram & diſtinctam, ſi quæ datur, naēti ſint ideam. Nec facile conjungunt, ideam cum idea, aut diſjungunt eandem ab alia, niſi prius utriusque naturam vel cognatam, vel contrariam, habuerint p eſpectam. Sophismata lubentes deserunt. Errantem adverſarium ad regiam reducere viam, ipſi al laborant aſidue. In opinionibus suis non perſeverant pertinaces, cum falsitas earum vel a minimo monſtraret; id quod hodie maxime optandum eſſet. Nec Platōnem, nec Ariftotelem, nec alios plus juſto amant; veritatem au tem

---

(\*) Significantur admodum veritatem cum charitate coniugit Paulus Eph. IV. 15. Ἐληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ, veritatem ſeſtemur in charitate. Ibi δὲ ληθεύω, non significat ſolum ſequi veritatem doctrinæ; ſed ſincere quoque, vere & candide ſe gerere, tam in doctrina & verbis, quam in amore. uii ex ZANCHIO bene obſeruat LEIGHES Crit. S. vot. δὲ ληθεύω. En harmoniam in ipſa uoce! Qui charitatem non curant, facile defleſtunt eiſ ſuſcipioν. Αρχ. I. Tim. I. v. 6. & ut idem tū. LEIGHES ex BULLINGEREO explicat, defleſtunt ad diſcretionem, que nihil diſſert ab anicularum nūgis; que, rameiſi ſatis longe ſint, inanæ tamen & elumbes ſine fructu cadunt, adeo, ut tandem ne ipſe quidem, quod dixirint, norint, viduos, ματαιολογία.

rem omni prosequuntur amore. (\*) Salebras & ambages evitant, facili eaque recta incidentes ad verum via. Ex aliorum sermone II. caute & candide eruunt veritatem, omissis praesertim praejudicatis opinionibus atque affectibus. Verba ex bona cujusdam autoris mente profecta, non iniquum detorquent in sensum. Non affingunt adversario opinionem, quæ nunquam in ejus venit animum. Et si quis satis se explicat, in apta ejus responsione acquiescunt placide. Falsam in alio non facile supponunt mentem, aut culpandam rei, de qua sermo & disputatio est, ignorantiam, nisi de iis omnibus facti sint certiores. Quarunt potius, ex aliis modeste, quænam sit vera & genuina corundem mens. Si aliorum sententias III. dijudicant, itidem accurati sunt ac candidi, adeo, ut, quæ vera sunt, indicent absque invidia, corrigan autem fraterne, quæ falsa. In ipsa veri communicatione, controvertendique ratione IV. nil nisi ostendunt amorem. Qui ita rebus suis consulunt, iis non facile V. deerit egregia rerum notitia. Nullum subterfugiunt labore, nullum sudorem, modo ut quotidie magis ac magis emendatum sibi acquirant animum. Et hi ipsi sunt, quibus eruditoram palestra merito est aperienda.

§. XII. Quot autem sunt, qui non DEUM, non proximum non veritatem sincero prosequuntur amore, sed tantum sibi ipsis stolidum exhibent cultum; qui perniciissimâ laborant philavita, cuius ope innumera alia generant mala; imprimis vero voluptatem, ambitionem & avaritiam procreant, ceu filias pestilentissimas. Hæ, post maxima-

(\*) JACOB. MARTINI in P.ed. Log. L.V. c.15. scribit: Amicus Plato, amicus Aristoteles; sed magis amica veritas. Sic etiam in Disputationibus theologicis, amicus Lutherus, Chemnitius, & omnes Theologi; sed magis amicus Christus & ejus verbum in S. literis contentum.

maxime venenata vita, in qua præcipites reddunt mortales, maximos quoque gignunt errores. Certamina quod speciatim concernit, plane inepti sunt ad ea disceptantes, si principibus his reguntur virtus. *Voluptas* enim efficit, ut certantes nihil credibile putent, nisi quod incutere potest voluptatem. (\*) Quicquid autem voluptati adversatur, falsum vocatur. Omnes fugiunt laborem voluptatis, accuratam meditationem respununt, constantem item & diligentem rerum considerationem negligunt, qua omnia tamen finis requirit legitime certantium. Exinde fit, ut I. facile ideas falsas concipient pro veris; II. an universales sint, an particulares, sibi non cognostant; III. an cum aliis conjungenda aut disjungenda, non dispiciant; IV. an aliquid de omnibus, aut de quibusdam dici possit, non examinent; V. quicquid alicujus svadet autoritas, facilime habeant pro certo; & si forte nova proferatur veritas, VI. non inquirant in eandem, sed expectent, donec aliquis eam rejiciat aut culpet, quia ita satis cause habeant, ut ne eam perscrutentur; VII. aliorum mentem investigare juxta ac dijudicare nequeant, cum magna admodum eos vexet rerum ignorantia; VIII. qua *euωρξει* sunt difficultia, statim pro dubiis aut falsis venditent, ne obligentur, cognitam veritatem ad bonum applicare finem. Et qua id gentis alia sunt. *Ambitus* porro eadem ratione certatos adeo depravat, ut verum investigare minime queant. Ambitiosi enim I. a semel recepta hypothesi, quamvis falsa, recedere, maximè sibi ducent ignominia; II. Nulli rei adhibent fidem, nisi quam ipsi in medium protulerunt. III. Nova semper excogitare stident, omni licet rei fundamento destituti. IV. Testimonis celebriorum virorum male detortis novas suas incurrunt opiones. V. Cum eruditis doctrinaque inclutis

---

(\*) LACTANTIUS Lib. V. infit. div.

clutis contendere anxie quærunt. VI. Eandem cum his  
 viris fovere sententiam, utut valde dubiam, pro sua erudi-  
 tionis venditant signo fallere nescio. VII. Ostentatio-  
 nis ergo semper pugnandi vincendique flagrant desiderio.  
 VIII. Si quis inferioris fortis vel in quoddam detegat, ceu  
 falsum deprimere nulli erubescunt. IX. Ut oculos omni-  
 um in se vertant, evidentissimis contradicunt veritatisbus.  
 X. Absurdissima quæque vel concedunt, vel respondendo  
 adducunt, ne tacuisse, aut rem perdidisse videantur. XI. In  
 vocibus hærent, quas hinc inde flectunt, ne ullo modo ca-  
 pi possint. XII. Tandem omnia, quæ ambitionem promo-  
 vere solent, pro honestis habent aut decoris. En, quem  
 finem quærant hujus farinæ disputantes, nonne data ope-  
 ra veritati sunt contrarii? Avaritia denique hanc pernicio-  
 sam sicut thefin: Quicquid utile est, illud pro vero hone-  
 stioque reputandum. Ex quo principio multæ alia, at satis  
 noxie, derivantur conclusiones. Nostrum quod attinet,  
 negotium, avari disputantes non tam universalioribus ad-  
 versari audent veritatibus, quam particularibus potius at-  
 que singularibus. In genere quoque non nisi inviti & co-  
 acti contradicunt iis, quibus lucri sui augmentum debent.  
 Deinde plerumque abjecti sunt animi, totos se sacrantes  
 rebus terrenis & caducis, cum potius omnibus his sepositis  
 veritatem sectari debeat. In specie vero si thesis propo-  
 natur animo corundem lucricupido contraria, dubitant pri-  
 mum, an vera sit; postea quando lucri naufragium co-  
 gnoverunt, plane negant, & nihil aliud agunt, quam ut  
 impedit veritatem. Misce modo cum iis sermones de  
 eleemosynis huic aut illi distribuendis; de cibo præbendo  
 huic esurienti, potuque porrigo illi sitienti, (\*) & inve-  
 nies hæc omnia ipsis aut dubia esse aut falsa. (\*\*) Vides ita-  
 que, quid noceat in certaminibus legitimis voluntas non-

C

fatis

(\*) Rom. XII. v. 20. (\*\*) Conf. Dn. M. MUSIGHI diff. cit. §. XIX.

44

**Latis emendata.** Fatemur quidem, ex aliis viis secundis  
v. c. ex metu, invidia, nimia credulitate &c. derivari quo-  
que posse plures species, qua certantibus in acquirendo fi-  
ne obesse solent, sed pagina nobis injicit frenum. Qui  
alia modo cognoscet via, in disputationibus facile eo-  
rundem deprehendet vestigia; cuiusvis itaque indefesso  
catera relinquo examini.

§. XIII. Ex unico hoc latius deducto certaminum  
requisito nullo negotio aliquis catera cognoscere posset; animus quippe emendatus eruditusque omnia continet  
reliqua: Sed vero, cum adhuc plura comprehendat erudi-  
tio, & non cuivis ex iis elicere contingat, qua distin-  
cte ad certamina requiruntur, non videmur frustraneum  
suscipere laborem, si, qua superfunt, decenti endemus  
brevitate. Quemadmodum itaque sapientis est & prudentis,  
nullum suscipere laborem, cuius finis non adeo est  
necessarius aut vere utilis; vita enim brevis est, & neces-  
saria multa dantur peragenda, qua cateris preferen-  
da sunt: Sic quad eruditorum concertationes impru-  
denter esse videtur, quavis occasione, cum quovis con-  
gredi homine. (\*) Non semper certaminum ope veritas  
invenitur & defenditur. (\*\*) Nec quavis disputatione fine  
periculo & damno absolvitur. Nec quivis homo fini cer-  
taminum cedit. Audaces itaque & rixosi videntur, qui  
nulla impellente causa sufficienti & justa, discrimini cer-  
taminum se exponunt. Ne dicam, saepius deflectere disputatio-

(\*) Dr. FABRICIUS in confidem. Theol. p. 585. In omni  
disquisitione que cum dissentientibus instituitur, dimidi-  
um opere, ni fallor, conficies; se rigidior sibi res suas  
habere finas & moderiorum mitiorumque dantaxat sen-  
tentiis sub examen voces atque confides. (\*\*) LU-  
THERIUS sapient dixit: Veritatem nuncquam magis quam  
diffitando amissam fuisse.

¶ (19) §

tationes in actiones vanas, inutilesque sermones, deo  
quibus omnino coram judice extremo nobis reddenda  
erit ratio; quomodo autem nos excusabimus apud eum,  
qui intime nostra cognoscit cordium penetralia, qui o-  
mnia patefaciet, quæ occulta sunt hominibus, (\*) qui  
ambitionem, invidiam, rixandi pruritum, & quæ sunt alia,  
in maximum impie certantium ruborem luci exponet.  
Si autem rei necessitas, aut fama, ipsi quoque veritati no-  
xia, labefactatio, aut, si de exhortationibus academicis  
agitur, studiorum nostrorum ratio id requirat, quo mi-  
nus institui possit legitimam certamen, nescio quid pro-  
hibeat. Confer quæ C. III. §.; hac de re sum adducturus.

§. XIV. Certaminibus eruditorum porro maxime  
proprium esse debet, argumenta contraria legitime modeste-  
que conferre. Argumenta non quævis levia, sed quibus  
debitum inest pondus, conferri debent. Levibus enim  
qualibuscumque rationibus rem confidere vel plane nullum  
habet usum, vel non genuinum. His qui veritatem con-  
tra hostes defendere, adversariorumq; principia falsa, peni-  
tus evertere, sibi proponit, similis est ei, qui globulis bu-  
tyracis propugnaculum quoddam propugnare vel oppu-  
gnare decrevit. Si cum hoste congregari debemus, levio-  
ra sane eum reddunt potius contumacem, quem solide con-  
vincere tenentur. Levia efficiunt, ut & quæ alias maxi-  
mam habent verosimilitudinem, pro ficalneis reputentur.  
Ex intinis itaque, si fieri potest, rerum visceribus eruenda  
sunt rationes, quibus verum protegere allaboramus. Si  
rem apodictice monstrare nequimus; quæramus maxime  
verosimilia, quibuscum adversariis os obturare pro viri-  
bus possimus. Quæ vel nullius vel exigui admodum sunt  
momenti, nec tyronibus exercendis, nec veritati inveni-  
enda genuinam afferunt utilitatem. Non autem sufficit ar-

---

(\*) Rom. II. 16. I. Cor. IV. 5.

gumenta conferre , requiritur quoque ut ea *contraria* sint,  
 quæ nempe vel propositæ thesi vel alii prolatæ argumento  
 contradicant. Si enim in veritate invenienda occupamur, quid  
 juvat, argumenta proferre, quæ alterius sententia non re-  
 cete adverfantur ? qua ratione commode perscrutabimur,  
 quæ in contrarium latus adferri possunt ? Si circa verita-  
 tem defendendam versamur, quid proderit hostem iis in-  
 vadere rationibus, quas & ille pro sua afferre solet senten-  
 tia, vel quæ plane aliam respiciunt rem finemque ? Con-  
 trariis usque , ut diximus , solidis cum oppugnare debe-  
 mus telis , si dulcem victoriarum spem nobis sumus vendica-  
 turi. Si denique exercitii ergo disputatio instituitur, quis-  
 nam fructus erit expectandus , si respondenti non contra-  
 riari videamur ? Qui vero ex his concludere veller, certa-  
 mina feliciter absolvi, contraria si modo reciprocenrur ar-  
 gumenta , turpiter falleretur. Nam omne illud exercent  
 quoque certantes, qui nec intellectus , nec voluntatis , a-  
 gnoverunt emendationem. Si finem consequi cupiunt di-  
 sputantes, *legitime* quoque conferre coguntur rationes, ea  
 sc. ratione, quam prudens postulat veritatis communica-  
 tio. Requirit hæc ut I. thesi proposita recte contradicat  
 opponens, (\*) II. respondens accurate formet controver-  
 sia statum. III. Idem examinet , an, quæ opponens pro-  
 tulit, sibi vere contradictant; quo cognito, indicet, si con-  
 clusio opponentis suam non feriat thesin ; si autem feriat,  
 ad rem ipsam perget. IV. respondeat vel concedendo , quæ  
 vera sunt; vel *distingvendo* & *limitando* (\*\*) quæ in se sunt  
 particularia, sed ab opponente universaliter adducta; vel *ne-  
 gando*, quæ plane falsa sunt. V. Opponens vel probet negata,  
 vel,

---

(\*) Prückner, artif. diff. p. 84. (\*\*) *Falsum universale ostendit & restringi quoque poterit per instantiam , de qua consule B. SCHERZERI Manuale philos. P. VI. n. XII. seqq.*

vel, si allata respondentis non sufficiat responso, excipiatur, donec VI. respondens id afferat responsi quod rem penitus enodet & exhauiat. Quo facto placide acquiescere, veritatis cedere debet opponens: sed si hic veritatis praesatio tueri potest sententiam suam, nec respondentem decubebit cedere veritati. Quæ specialiter sunt annoндanda, in sequentibus commodius tractantur capitibus. Hæc autem omnia modestè fieri debent, sincero erga veritatem amore rem dirige; omnibus vero cavillationibus, vociationibus, vanis locutionibus, terminis durioribus alia isque suspicionibus plane sublati; his namque veritas magis occultatur, quam explicatur.

S. XV. Qui de lana caprina instituunt certamina, merito ab omnibus, quibus senior concella est mens, deridentur. *Necessaria aut vere utilis* debet esse res aut quæstio, circa quam certando versari desideramus. Ne diccam de iis, quæ religioni reipublicæque noxias continent conclusiones; meo quoque judicio, nec singularia, quæ docet experientia; nec nimis trita, lippis & tonsoribus nota, aliaque inutilia genuinam certaminibus exhibent materiam. (\*) Veritas, licet in ejus farinæ minutis eruatur, nullum tamen vel remotissimum tantum, maximeque exiguum & cum felicitate nostra & cum DEI gloria habet nemum. Id propter vanas eas judico contentiones, sapientem prudentemque hominem minime decentes. Ab his abstinere nos jubet Apostolus Paulus. (\*\*) Et Seneca

C 3

mor-

(\*) Non disputantium examini sunt exponenda, quæ pietatem labefacient, quæ utilitate laborem non compensant, quæ supra vires sunt nostras ac nimium subtilia. ADRIAN. HEERBOORD in Qmt. de Ratione diff. philos. (\*\*) Epb.

IV. v. 34. II. Tunc. II. v. 23.

morbū vocat. (\*) Morbus autem solo nomine cuivis ingratus est. Et tamen perniciōsam hanc gangrēnam a Gracis accepere Latini , qui deinde non tam vīta , quam schola didicerunt ; & ideo ab hac non sine causa sortiti sunt nomen. Rerum ab illis disputando per trāctatarum ratio ex sequentib⁹ elucet quæstiunculis , quando exempli causa mira æneæca deducere conati sunt , an cœlum empyreum satis luminosum. Quid DĒUS egerit ante mundum conditum. An corpus dominicum in ventre muris , qui in municipia circumfertur , adorandum sit. Quid agendū cum mure isto , exenterandus sit & hostia consecrata in eo reperta , fidei ad comedendum offerenda , & quæ id genus alia sunt , quæ ordine concessit B. JO. GER. HARDIUS. (\*\*)

§. XVI. Non incongruum erit , sequentem huic materiaj annexare quæstionem : An de rebus quoque theologicis certare liceat ? BODINUS (\*\*\* ) dudum consuluit , omnes ut circa religionem & res theologicas tollerentur disputationes : eas enim ceu turbas moventes conceperat . Ast quod concertationes theologicas turbæ sequantur , ex culpa hominum contingit non recte remdatorum , qui aliis quoque valde bonis rempublicam turbare possunt rebus , eam tamen ob causam non statim abrogandis. Res bona laudanda , culpandus autem modus ejusdem iniquus.

Hoc

---

(\*) Græcorum inquit , iste morbus fuit , querere , quem numerum remigium , Ulysses habuisset : prior scripta esset Ilias , an Odysea : præterea an ejusdem esset auctor : Alia deinde hujus note ; que siue contineas nihil rectam conscientiam juvant , siue proferas , non doctior videberis sed molestior. (\*\*) In Method. Stud. Theol. p. 302. seqq. Confer D. FABRICII Confid. theol. p. 187. seqq. (\*\*\* ) Lib. IV. de Republica .

Anno .

Hoc responsi vicem suppleat in amovendis objectionibus, Weiglio aliquaque, quibus disputationes fastidio fuerunt, adscriptis. Sed forte nondum salva res est; nam, ut suspectæ fiant disputationes theologicæ, efficere potest, quod illis admisis, vel revelatio subjiceretur rationi, vel minimum imperfæcta audire illa, Logicam, ad quam spectant dissertationes, in subsidium vocans. Sed vero revelatio non data est homini, omnidestituto ratione: potius quo magis emendata est ratio, eo felicius subjicienda erit revelationi, eo facilius fidem habebit Summo Autori revelanti, quem omni exceptione cognovit majorem. Quomodo itaque humilius hæc affectabit in revelationem dominum? Deinde si propositiones in codice sacro contentæ & in theologia pertractandæ, commodo traduntur ordine; si in iisdem subjecti & prædicati arctus ostenditur nexus; si ex veritate revelata universalí alia deducitur particulares; si ad informandos infirmos, ad convincendos item adversarios prudenter applicatur, quid derogat Scripturae sacræ? Hæc autem sunt, quæ sanior docere solet Logica, & in quibus præcipue genuinæ consistunt disputationes. Salvator ipse & Apostoli ea omnia cum fructu adhibuerunt in refutandis veritatis hostibus. Manet canon Scripturæ perfectus, licet jam laudata methodus in docendo vel defendendo illo sit occupata. Ordo iste conditio tantum est, ex parte subjecti, feliciter prudenterque docentis, requisita, ne quicquam addens perfectionis canonii perfectissimo. Et si adhuc animo dubitante aspicias Theologorum concertationes, lege quæ Apostolus scribit ad Titum c. I. v. 9. Requirit ibidem, in Episcopo, ut sit διυλαρος ἐλέγχειν τὰς ἀνηλέγουτας, ut sit capax cœlesti contradicentes veritati solidissimis convincere argumentis. Meo iudicio & illud innuit hæc verba, quod Episcopus interdum in arenam disputatoriam descendere, nequeat deterrere.

Etare.

Etare. Admittantur itaque innocentes, (\*) sed utiles disputationes & omittantur, quæ ab indoctis, loquacibus, iracundis, invidis, nimis subtilibus & curiosis, aliisque vitios scatentibus incongrue sunt admista. (\*\*) Atque sic moderata certamina religionem non turbabunt, multo minus tollent, sed potius promovebunt. (\*\*\*)

§. XVII. Mirabuntur forte nonnulli, quod in definitione simul finis omnium ultimi gloria nempe *DEI* fecerim mentionem, cum alias hoc sit inconsuetum. Sed respondeo illis: & me mirari eos, quod hunc, præ aliis observandum, omittant finem. Præsumitur, inquit? Scio & doleo, quod præsumatur & sic felicissime negligatur. Ostendunt hoc tot perniciosi atque deplorandi excessus disputationum. Quia itaque in certaminibus eruditorum maxime hic finis posthabetur, ea de causa clarioribus & significantioribus exprimendus est verbis. Post gloriam *DEI* ceu finem omnium rerum ultimum, & nosse promovenda est *vera felicitas*, adeo ut tam proximi adificationem, quam nostræ salutis incrementum, quovis quæramus labore. Si hæc curate attendamus, omnia, quæ minime decent & quæ infelices reddunt certaminum successus, facile omittemus. Communes vero hi sunt actiones.

num

---

(\*) LIPSIUS Libro advers. dialogiam c. 3. Disputationes, inquit, non danno, si in loco, si inter idoneos, si cummodo usurpare. Locum censeo Scholas, Academias, Collegia, Idoneos, rerum sacrarum & philosophie peritos. Modum, ut contentio & subtilitas absit. (\*\*) Hæc quibusvis temporibus improbata sunt. Vid. FABRICIUS consil. theol. p. 198. (\*\*\*) Conferantur interim, que circa disputationes theologicas d. Eliphise differit Magist. D. BUDDEUS in Proleg. Acad. de Theol. Polen. studio recte instituendo p. 4. seqq. que item admovit D. FABRICIUS h. c. p. 230.

num nostrarum fines, proprius itaque hujus negotii est inquirendus. Hunc demum constituit *veritas* vel *invenienda* vel *confirmanda* & ab *hostibus vindicanda*. Quæ si prioribus addas, perfectam certaminum habebis normam, consistente in gloria DEI, nostra felicitate & veritatis genuina cultura. Qui juxta hanc normam suas instituit concertationes, non facile aberrabit a recto & moderato certaminum legitimum tramite. Si quis autem pro gloria DEI, suam querit gloriolam; pro edificatione proximi, proprium appetit lucrum; & pro sua vera salute, nihil nisi voluptatem affectat, is quovis momento se turpiter dabit in certaminibus.

§. XVIII. Hæc breviter de certaminibus in genere dicenda existimabam. Distinguarem nunc ea, pro materia, quam tractant, ratione (1.) in Theologica, (2.) Juridica, (3.) Medica, (4.) Philosophica vel speciatim Politica; sed quia maximam partem nostræ curæ vix esse dicuntur; potius pro duplice communicandi modo, duplicita esse affirmo 1. quæ viva instituuntur voce; 2. quæ scriptis absolvuntur polemicis. Uterque modus sua habet commoda, sua quoque habet incommoda; (\*) uterque suas agnoscit leges & requisita. Operæ itaque pretium esse duco, ut de iis breviter adhuc sequentibus agamus capitibus.

(\*) Prior modus & ad inveniendam veritatem expeditior, & ad exercenda ingenia aptior: Posterior tunc, nec tot periculis, quæ ex precipitania oriri solent, obnoxius est. Ita Magnif. Dn. D. BLIDDEUS Phil. Instrum. P. III. e. I. §. II.

## CAP. II.

*De Certaminibus, quæ viva institui solent voce.*

§. I. Varii dantur modi concertationum, quæ viva instituuntur voce. §. II. Methodus Dialogistica, quomodo ad ornanda? §. III. Specialia ostenduntur Methodi illius commoda atque observationes. §. IV. De dissertationib[us] oratione continua seu discursu per agendis. §. V. VI. Brevibus explicatur Methodus Syllogistica.

## §. I.



Ux in genere ad hanc pertinent doctrinam, ex capite I. commode repeti possunt, cum quidem in finem, ut fundamentum hujus generis certaminum eo magis fiat perspicuum, & quæ in specie annotantur, commodius pertraetari queant. Qui historiam Philosophorum consulunt, cognoscunt, veteres varie disputasse, viva voce sermones miscendo. Quidam disputatione per *continuam orationem*; quidam per *dialogos*; quidam per *inductionem*; per *sortitem*; quidam *methodo Megarica*, *Cynica*, *Syllogistica* & quæ superius alia disputationi rationes, quas omnes plenius explicavissimus, nisi jam laborem hunc suscepisset Excellent. SCHNEIDERUS. (\*) Quisnam autem modus sit antiquissimus, an continua oratio sive discursus, an dialogus, dubium videtur, cum pro oratione continua militare dicat jam laudatus Cl. Autor, quod 1. sit valde naturalis, 2. a primis statim

(\*) Prestitum hoc peculiari differt de variis argumentandi methodis veterum ac recentiorum Philosophorum. Conf. quod M. GÜNTHERI diff. de modo disputandi Megarico.

tim Philosophis adhibita & ad tempora Zenonis Eleatis usque usurpata. Sed nescio, annon dialogus antiquitatem majorem sibi tribuere possit, cum i. maxime etiam sit naturalis, & ideo i. statim prima mundi aetate exercito, ut §. 3. c. I. allata testantur exempla. Interim puto, nihil derogare genuino horum modorum usui, sicut multa distinctionum ferragine antiquitatem vel hujus vel illius ostendere recusemus. Hodie in disputationibus publicis piecumque adhibentur discursus & syllogismus, qui interdum quoque miscentur adeo, ut quod disputans quidam discursu propositus, mox syllogismo includat. Optandum autem est ut introduceretur quoque dialogus, ad veritatem eruendam defendendamque maxime utilis.

§. II. *Dialogorum methodus alias Socratica audit, quod Socrates methodum illam, qua dialetici in aliorum abutebantur deceptionem, contra eos ipsum direxerit atque cum felici adhibuerit fructu.* Ita ex CL. CLERICO judicat Dn. D. SCHNEIDER. (\*) Requirit hæc methodus & ingenii acumen, hujusque mirificam celeritatem & animum presentissimum. Consistit vero in quatuor maxime præceptis a Celeb. CLERICO recentis (\*\*) explicatis, exemploque illustratis. Primum est: Qui hac methodo frui desiderat, ita se gerere debet, quasi ab eo, cum quo res ipsi est, vellet id, de quo certatur discere. Secundum est: Priusquam aliquid objiciat interrogans, ab eo, cum quo loquitur, si utatur verbis obscuris, interpretationem petere debet. Tertiū est: Interrogantem oportet querere de omnibus doctrinæ partibus, ejusque confessariis, non quasi quicquam in iis reprehendamus, sed ut plenius doctrinam percipiamus; ita ut videatur Magister, nos discipuli. Quartum est: Si hæc non sufficiunt ad eum capiendum, tunc querendum quibus argumentis nitatur.

D 2

§. III.

(\*) Loc. cit. Sect. III. §. VI. (\*\*) In Logica sua p. IV.c. IX.

§. III. Hæc methodus cum magna in refutandis hominibus gaudeat vi atque efficacia , nobis quoque incumbit in congressibus eam adhibere. Si propter consuetudinem , contumacem tyrannum, in disputationes publicas introduci nequit, quid prohibet, si privatos inter nos trahemus, privatisque concertationibus , quas sàpius aggredimur, cum fructu exerceatur ? Quo autem felicius applicetur , circa unumquodque præceptum alia speciales observari possunt prudentia regulae. In genere quidem notandum censet Dn. D. GERHARDUS , (\*) quod in ejus modi disputationibus, accurata materie , de qua disceptatur , requiratur notitia, quarendo item & respondendo summo attentio ; addo, nec leges communes bona disputationis negligendas esse, ut nempe i. de fundamento , 2. de conclusionibus questiones instituamus. In specie vero circa Imum præceptum, meo iudicio , non sine commodo observandum est. I. Ut interrogans eo sit animo , quo veritatem , undecunque etiam veniat , libenter excipiat. II. Discendi cupiditate esse esse , signis , verbis vultuque ostendat candidis modestisque. III. Non ea querat, quæ maxime sunt levia, neque ad eum, quem sibi propositus, faciunt scopum ; hac enim ratione respondens ad ulteriore responsem redditur difficilior. IV. Quicquid queritur , verbis claris distinctisque proferatur , ne questionum confusio respondentis immaturam pariat molestiam. V. Nec ira formet questionem , ut respondens primo intuitu videat, se capi posse. Illeum præceptum felicius expedierit, si I. nihil quod obscurum est , prætermittamus. II. Rationem questionis non in respondentis devolvamus tergum, accusantes ejusdem ignorantiam aut modi , quicquam clare proponendi , defectum ; sed III. nostræ omnia ascribamus ingenii tarditati. IV. Semper studeamus ostendere , nos assen-

(\*) In Phil. Rationali lib. II. c. XI. §. 36.

affentiendi paratissimos esse veritati. Illum praeceptum  
eo certius consequitur finem, si I. quæstiones eo prepo-  
natur numero, qui ad rem explanandam exhaustiandam  
que sufficit. II. Quæ præcipua sunt fundamenta aliquo-  
ties repeatantur, ut respondens negare nequeat a se dicta  
esse, quæ fere protulit, assertuitque. III. varia producat  
exempla & similia, queratque an rem de qua disceptatio  
est, eodem censu habeat atque exempla & simi-  
lia, a nobis allata. IV tum denique præceptum rite absol-  
vetur, si I. perscrutemur omnia adversarii argumenta, an  
valida sint, an minus; II. attente accurateque inquira-  
mus in eorundem cum re ipsa, circa quam versamur,  
connexionem. III. Cognitus vel in argumentorum vi vel  
nexu defectus statim indicetur & IV. rem ipsam inde fal-  
sam esse ostendatur. Et si quæ alia sunt, quæ prudentia  
quærentis suppeditabit. Hoc imprimis appendix loco  
respiciendum, si respondens petitis & quæstionibus no-  
stris lubens satisfacere recusat, aut verbis blandis miti-  
oribusque eo adhendens est, aut certamen ipsum abrum-  
pendum, nisi in vanas nos præcipitare velimus actiones.

g. IV. Omissionem continuam quod concernit, solis  
eruditis & controvertendi ratione satis imbutis relinquen-  
dam esse censeo. Tyrones enim haec ipsa ad logomachias,  
vanasque locutiones felicissime ruunt, quibus nihil minus,  
quam verus disputationum acquiritur finis. Quo autem  
& eruditio eo felicissimi finis quæstuti fiant compotes, ordine  
procedant. Respondens vel alius quispiam thesin proponat,  
cui alter dubia enata opponat; ille cognita re formatoque  
statu controversia videat, an, quæ protulit hic, suæ con-  
trariantur thesi; si minus, indicet; si aurem feriatur the-  
sis, respondeat vel per distinctionem & restrictionem seu  
limitationem, vel per negationem probationisque petitio-  
nenem; opponens probet quæ probanda pertinunt; respon-  
dens prout iterum opus est, respondeat. Opponens exci-

piat; diluat respondens exceptionem, seque magis ac magis explicet, donec eruatur vel confirmetur veritas. (\*) Ad infringendam autem propositionem falso universaliter adductam, tuto adhiberi potest *inflantia*, vel *inversio*. (\*\*) §. V.

*Methodus* tandem *Syllogistica* hodie usū est frequentissima. Ascribunt eam Aristoteli, quod, si ea sit mente, quia Aristoteles diligentior excoluit syllogismos, quorum clara vestigia Platoni jam fuerint cognita, facile concedere possumus. Est ea *methodus*, qua omnium maxime mortales sunt abusi, adeo, ut jam ferme nihil nisi redoleat scholam, viris & meritorum & officiorum gravitate conspicuis valde molestam.

§. VI. Potiora, quæ circa hanc methodum notanda sunt momenta consistunt in modo & processu disputacionis. *Persona* enim, que sunt *opponens* & *respondens*, a cuius partibus plerumque stat *mودator*, requisita sua ex capitulo addiscere possunt. Celeritas ingenii hujusque methodi curata requiritur notitia. *Materiam* ad nostram felicitatem vel necessariam, vel vere utilem esse debere, præcedens evicit caput. *Modus* autem est *syllogismus*, in se quidem innocens præsertim si naturalem sequitur ordinem, cuius generis imprimis sunt syllogismi categorici prima figura. Ait cum Philosophi non tam rem syllogismo preferendam, quam potius ipsum syllogismum curare inciperent, aberrarunt a commoda & genuina communicande veritatis ratione. Mirifice exinde multiplicarunt syllogismos per figuratas modos, variaque genera. Inde insignes natæ sunt difficultates, quæ magnam syllogismis inuferant maculam. Circa figuratas multas excogitarunt regulas, quæ magis cum labore, quam cum fructu applicantur. Varias id propter quælibet vias eruditæ, quibus adhibitis difficult-

(\*) Confer que observavit Cl. SCHNEIDER. I. c. Sect. II.

(\*\*) B. SCHERZERUS conferri potest. loc. cit.

scultates illas evitare postint. Notum est principium cuiusdam anonymi in arte cogitandi, (\*) et nuper edenda præfationem præmisit doctissimam Magist. Dn. D. BUDDEUS. Est autem illud sequens: In omni syllogismo quoad formam bono, conclusio debet contineri in præmissis, adeo, ut, si conclusio est affirmans in utraque præmissarum certa continetur ratione, maxime vero in majore: Si vero conclusio est negativa, tunc in eâ præmissa; quæ negans est, continetur. Quibus ita positi, fluit: In quo syllogismo conclusio non continetur in præmissis, ille quoad formam non est bonus. Exempla hæc omnia faciunt clariorâ, quæ vid. in cit. autore c. 10. & n. Alii (\*\*) intimius rem penetrarunt, ex ipsis visceribus morbo illi medelam quarentes. Si conclusio, inquit jam laudatus Dn. D. BUDDEUS, (\*\*\* ) recte consideretur, si deinde consideretur medius terminus & expendatur ejus cum terminis conclusionis collatio, an hæc rite instituta sit, facile resexpidiri potest.

s. VII. Hac de forma syllogismi, jam brevibus ad materiam, circa quam processus disputationum viva voce, instituendarum notandis est, pergamus. Duo præsertim sunt disputantes, Opponens & Respondens, quorum unicuique officia quædam incumbunt attendenda. Opponens officia tribus præcipuis absolvuntur punctis I. ut proponat objectionem. II. ut eandem probet. III. ut ad respondentis excipiat responsonem. Officia Respondens itidem tribus comprehenduntur momentis. I. ut assumat argumentum &, si opus fuerit, probationem petat. II. ut ad probacionem opposentis respondeat vel concedendo, vel distinguendo, (\*\*\*\*) vel negando, III. ut ad exceptionē novam re-

spon-

(\*) P. III. c. 10. & n. (\*\* ) illi Celeb. CLERICUS in Log. P.

IV. c. V. (\*\*\* ) Phil. Inst. P. I. c. III. §. XLIX. (\*\*\*\* ) Con-

stule que ad distinctiones rite formandas prescripsit B.  
SCHERZERUS in Manuali Philos. P. V.

spondeat. Cætera omnia, quæ circa hasce disputationes observari merentur, ad triajam adducta referri possunt capita. Cum autem ea in multis libris uberrime sint consignata, ne actum agere videar, ad ejus generis libros lectorum benevolum mitto. Legat præ alius Iac. Thomæ appendicem Log. Erot. de methodo disputandi. Magnif. Dn. D. Buddei Phil. Instrum. P. III. c. præsertim II. & III. CL. Titii artem cogirandi c. XVI. & XVII. Si placet evolvi quoque ex antiquis possunt Hornejus de processu disputandi, Felvvinger de disputatione, Pruckner de artificio disputandi, & qui instar omnium est, ipse Aristoteles in Organo suo, ad cuius explicationem valde conductus Michael Piccartus in Organo Aristoteleo. Cave tamen discas ab his ultimis, quomodo artificia bellica seu stratagemata in nostro negotio impie applicari possint; ab his enim certissime sanior abhorret mens.

### CAP. III.

*De Certaminibus, que scriptis, ut vocari solent,  
polemicis instituuntur.*

- §. I. Proposita tractandi ratio explicatur & excusat. §. II. Quid in scribendo certantibus requiratur præsertim quoad intellectum? §. III. Quid speciatim quoad voluntatem?
- §. IV. Quenam legitima causa impellens scriptis certantum?
- §. V. Quisnam modus & quenam processus ratio?
- §. VI. In arbitriis nostra sententia brevibus exponitur.

#### §. I.

E Scriptis polemicis si multa commentarii vellem, audacie, superbieque insimulari facile possem, cum eruditissimos viros iis implicatos, eosque sapienter, aberrantes animadvertisamus, quibus vel adhortandi vel dehortandi conatu præscribere viderem, cum



tum tamen corundem discipulum me profitear iubentissime. Cogitationes quasdam tantum, easque per breve li-  
teris sum demandatur, eum quidem in finem, ut mea-  
modo tenuitas atque infirmitas magis exerceatur & instru-  
atur. Notanda vero sunt circa scripta polemica vel gene-  
ralia vel specialia. Illa capite primo, prout occasio & vi-  
res permiserunt, tetigi. Circa hæc itaque meditationibus  
nostris maxime occupabimur. Hæc partim plane sunt  
arbitraria, partim a prudenti minimum requiruntur homi-  
ne, si omnia necessaria esse negares. Illa cuivis relinquimus,  
cum his maxime rem habentes, ex quibus tamen potiora  
tantum annotabimus, subiectum nempe, causam vere im-  
pellentem, modum item, & processus rationem.

S. II. *Subiectum eruditum* requiri, ex præcedenti-  
bus facile concludere licebit. Postulat hoc genuinus ho-  
rum certaminum finis, gloria DEI, proximi & propria ædi-  
ficatio veritatisque salutifera cultura. Quæ omnia nemo  
consequi potest, nisi qui intellectu & voluntate est emen-  
datus i. e. eruditus. *Quoad Intellectum* præprimis requi-  
ritur legitimus controvertendi modus, dextre interpretan-  
di accurateque sententias dijudicandi scientia, rerum item,  
minimum de quibus contentio est, solida, vera & suffici-  
ens cognitio. Absint autem quæcumque sub præjudicio-  
rum veniunt nomine; imprimis præjudicium false  
hypotheseos, logomachia<sup>(\*)</sup> item, obscuræ, ambigüæ,  
scandalosæ ac diuiores voces, nimius terminorum schola-  
ticorum cultus<sup>(\*\*)</sup> ignoratio elenchi, dissensio in funda-  
mentis primis, & quæ alia sunt genuinum finem scriptis  
polemicis denegantia.

E

S. III.

(\*) De quibus evolve Cl. Werenfelsii elegantissimam de logo-  
machiis eruditorum dissertationem (\*\*). Quæris pernicio-  
sam hujus morbi vim? evolve controversiam de voce for-  
maliter, satis notam.

§ III. In voluntate requiritur sincerus erga veritatem amor, cuius ope & gloria DEI & proximi ad fiducia capiet incrementa, quæ dixeris incredibilia. Exeat itaque è pectoris scrinio, quodcunque huic contrarium est amori. Exulet omnis *voluptas*, quæ non patitur, ut nova aliqua veritas accurate consideretur, & num vera sit vel falsa, dijudicetur; quæ omnia carni contraria, quamvis in se verissima, pro falsis reputat stolidissime. Exulet omnis *ambitio*, quæ efficit, ut inferioris sortis hominem una cum veritate inventa habeamus despectui; ut inferior è diverso ex solo scribendi pruritu, quo magis inclemescat, illustriorum virorum arrodat labores; ut convicti licet, nullo modo tamen cedant veritati; ut quibusvis verborum coloribus ea de causa nostram defendere conemur opinionem, quam, quod falsa sit, sufficiens ostendit demonstratio; ut porro aliorum, sub zeli specie, nos constituamus judices; ut nos alii doctiores semper credamus; ignoraniamque insignem in aliis supponamus. Exulet vana *avaritia*, quæ nos in eam precipitat cecitatem, ut quorum commodo lubentes frueremur, eos scriptis polemicis aggredi, famaque bona malam iniurere notam haud erubescamus; ut quicquid nostro lucro noxiun videtur, pro falso agnoscamus. Exulet imprimis quoque *invidia*, cuius perniciofis subfidiis multa christiano nomine indigna oriuntur controversia. (\*) Exulet me-

114

(\*) Collegit plerasq; species Celeb. CLERICUS, peculiari diff. de arguento theologico ab invidia ducto. Non incongruum erit, easdem brevibus recensere. Sunt autem sequentes XVI. Ut invidia creetur I. sententia, qua oppugnatur, male explicatur. II. Non inibus invidiosis infamatur. III. Cum invisorum hominum dogmatibus confertur. IV. Exaggeratur momentum questionis. V. Invisi redduntur boni, quod roibus nonnullis a Theolo-

gis

tus animos hominum corrumpens , ut hypocritas agantur . Exulet tandem omnis falsa suspicio de adversarii nostri animo haeretico , vel alia ratione nobis infenso . Per literas prius experiamur , quænam genuina adversarii sit mens . Et si dubium est , cui primum literas mittere incumbat , is incipiat , qui præ adversario suo veri christiani nomen mereri desiderat .

§. IV. Causa impellens alia est in concertationibus circa eruditionem humanam , alia circa divinam . In eruditione humana non adeo necessaria sunt certamina , quam in eruditione divina seu theologia ; illa enim felicitatem maxime temporalem ; hæc cœlestem concernunt . Illæ è diverso non adeo insigne præbent scandalum , quam hæc . Ubivis ergo prudenter nos gerere decet , ne negligamus necessaria , sed & ne tam strenue queramus minus necessaria aut plane inutilia . In utraque vero eruditione nos ad certamina recte impellit , vel rei , vel famæ , vel utriusque necessitas . In humana tunc demum res licitam requirit disputationem , si I. veritas quædam fundamenti salubrioris loco posita destruatur ; si II. quid contra ho-

---

gis inventis uti polint . VI. Studiose occultantur rationes , quibus refutanda sententia nititur . VII. Tacentur incommoda , quibus premitur sententia defendenda . VIII. Pratermittuntur ea , que invidiam amoliri possent . IX. Invidiosæ consætularia deducuntur ex sententia eorum , qui oppugnantur . X. Malignis suspicionibus premuntur . XI. Novitas illis obicitur , quasi crimen . XII. Consensu bonum poteriorum opprimuntur . XIII. Miscentur in disceptationibus , qua cum iis habentur multæ , qua ad rem nihil faciunt , sed que invidie creandæ apta sunt . XVI. In deteriore partem accipiuntur . XV. Provocatio fit a peritis judicibus ad imperitos . XVI. Adversarii denique quasi immorigeri Magistratibus infamantur .

norem DEI republieæque commodum afferatur ; si III. assertum quoddam veritatis cujusdam celestis post se trahat ruinam. *Fame* labefactatio defensionem postulat , si I. per eam veritas naufragium facere videatur ; si II. officium , quo quis fungitur ob erroris accusationem despectui habeatur ; si III. error , cuius quis arguitur , valde sit periculosus ; si IV. alia ratione accusationis contrarium monstrari nequeat. Quibus rite positis , aliquis moderatum certamen tuto aggredi potest. Si enim veritas vel immediate , vel me diate per famæ corruptionem destruitur , via , qua itur ad veram felicitatem , præcluditur . Hanc vero omni labore aperire , apertamque conservare tenetur quivis , cui id efficiendi concessæ sunt vires. Requirit hoc & nostra & proximi felicitas , ad quam creatus sumus , quam si negligremus , in nos atque proximum , & quod sequitur , in DEI voluntatem essemus injuri. Certamina quod concernit theologica , nolo quicquam decernere , quia ad alienam spectare dicuntur messem , in quam falsam philosophicam mittere , mihi non erit integrum . Accedit quod ea omnia , quæ huc referre possem , dudum eruditissime , ut solet , absolverit *Summe Rev. Dn. D. BUDDEZUS* in diss. de moderamine inculpatæ tutelæ in certaminibus theologicis.

§. V. Modum quod concernit , Syllogismos fastidunt scriptores. (\*) Dialogus autem adhiberi non potest , quia certantes inter se sunt absentes. Optimus itaque modus erit *oratio continua seu discursus apte formatus*. Processus ratio post generalia in sequentibus consistit breviter enarrandi. Accurate inquirendum & detegendum est controversiarum fundamentum , vel primum , ut dicitur , falsum : hec enim diruto , facile & cetera , quæ superstructa sunt , cor-

---

(\*) *Vid. Illustris THOMASII Ausübung der Vernunft-Lehre*  
c. 5. n. 36.

corruent. II. Demonstranda est illius falsitas. Fieri hoc potest vel a priori, vel a posteriori. A priori demonstratur falsitas, si clare indicatur, illud cum principio communi, vel maximum cum veritate universaliori eaque certa minime connecti. A posteriori ostenditur fundamenti falsitas, si conclusiones false, ex eo deducuntur, innuentes, se filias falsas ex falsa progenitis esse matre. (\*) Conclusio enim particularis semper continetur in aliqua universali, minus universalis in magis universalis: Si itaque tota universalis vera est, conclusiones exinde rite deducuntur eae partes, false esse nequeunt. Si vero falsa comprehenduntur, certo indicant, veritatem universalem, in qua continentur, falsam esse. III. Nostræ quoque sententiæ brevis confirmatio accedit, ut ostendamus sententiæ nostræ accuratam cum veritate universalis certa, vel cum principio communi, confirmationem.

S. VI. Quomodo autem quis hæc omnia bono tradat ordine, proprio potius relinquitur arbitrio. Mihi sequens arideret modus: ut cognito primo controversia falso, doctrinam ejus contrariam sed rectam breviter & quatenus ad meum requireretur negotium, exponerem. Deinde accuratae inservuerem applicationem ad controversiam, inspersa ponderis & utilitatis illius ostensione. Tandem recenserem primum falsum, refutaturus illud ex doctrina, quam prius explicaveram solidissimè probaveram rationibus. Id quod confessariorum more fieri posset. Interim si aliis alia placeat methodus, mihi non erunt contrariai. (\*\*)

#### Epilogus

Hæc sunt B. L. quæ de Certaminibus in genere, de publicis disputationibus viva voce instituendis, de scriptis item problematicis breviter sum commentatus; ea enim, quæ ab aliis jam

(\*) Vid. Illustris THOMASIUSI, c. n. 42. sifq. (\*\*\*) Confirm. Dn. D. GERHARDI Phil. nation. L. II. c. XI. §. 41.

36 (38) 37

uberius sunt exposita, data omisi opera, ne actum agere  
viderer. Nihil itaque superest, quam ut DEO agam grati-  
tas, Te vero obnoxie rogem, ut meas qualescumque cogi-  
tationes, qualicunque methodo conscriptas, æqui bonique  
consulas, sciasque, me umbra tantum delineasse rem, alias  
totum requirentem tractatum, quem vel doctoribus, vel  
commodiori minimum tempori relinquendum esse, censeo.

### COROLLARIA RESPONDENTIS.

I. Per certamina eruditorum insignem in  
modum promovetur eruditio.

II. Nimirum memoriarum cultura eruditionem  
magis impedit, quam adjuvat.

III. Nec multa librorum lectio, nec fre-  
quens collegiorum visitatio sufficientia sunt ad  
obtinendam eruditionem media.

IV. Nihil solius scientiae ergo addiscen-  
dum.

V. Etiam foeminae, quid? quod rustici  
eruditionis subjecta sunt capacia.

VI. In prima teneraque ætate statim veræ  
eruditionis ponenda sunt fundamenta.



OO A 6357




f

56.

vD 18

7000





35

DE  
**CERTAMINIBVS  
ERUDITORUM RITE  
INSTITUENDIS**  
DISSERTATIO

*Quam*

AUXILIANTE GRATIA ALTISSIMI  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

**GVILIELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIÆ JVLIACI CLIVIÆ MONTIVM AN-  
GARIÆ ET WESTPHALIÆ reliqua

*Amplissimi Philosophorum Ordinis consensu*  
In Academia Jenensi

D. Maji. A. D. M D C C X  
publico eruditorum examini submittent

P R A E S E S

**IO. IACOBUS LEHMANN**  
ERFF. PH. M. & TH. C.

ET RESPONDENS

**IO. GVILIELMVS LUDOLFF**  
ERFF. PH. & J. V. C.

---

J E N Æ,

LITTERIS MULLERIANIS.